

Universitätsbibliothek Wuppertal

Davidis Ruhnkenii Opuscula Varii Argumenti, Oratoria, Historica, Critica

Ruhnken, David

Lugduni Batavorum, 1823

Praefatio ex altera editione Lexici Timaei

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1677)

PRAEFATIO

EX ALTERA EDITIONE

LEXICI TIMAEI.

AEQUO ATQUE ERUDITO

LECTORI.

Constat inter omnes bene dicendi magistros, *Platonem*, pro tali ingenii magnitudine, non tenue, et de medio sumtum, sed grande et magnificum dicendi genus esse secutum. Nec inter ipsos Veteres defuerunt, quibus hoc nomine poëtae, quam prosae orationis scriptori, similior videretur. *Quintilianus* X. l. p. 501. *Plato praecipuus est eloquendi facultate divina quadam et HomERICA. Multum supra prosam orationem surgit.* Gravitationem vero et tanquam auctoritatem scriptis suis conciliabat verbis antiquis, et a vulgi familiaritate sejunctis. Vide *Dionys. Halic.* de

Com-

Pro tali — magnificum] *Supra divina quadam, ingenti vi concitatum, magn. quoddam, nec de m. s.*

Quibus — videretur] *Supra qui propterea ejus orationem poëmati, quam pedestri sermoni, similiorum judicarent, omisso Quintilianii loco.*

Tanquam — sejunctis] *Antea quasi — abductis.* Sic tamen in *Or. de Doct. Umbr.* supra, p. 132: *quas res populari ac perspicuo sermone enunciare possent — verbis exprimunt a communi usu abductis.* Sed post habitam illam orationem Linguae Latinae puritati multum operae impendisse videtur *Ruhnkenius.*

Compos. p. 28. Quae γλωσσαι vel λέξεις, ut a veteribus Criticis appellantur, cum ipsis Graecis, florente quidem adhuc lingua, veruntamen aliquantum mutata, obscuritate sua molestae essent, Grammatici operae pretium se facturos existimarunt, si illis sigillatim interpretandis *Platonis* lectionem faciliorem redderent. In quo genere non quidem *Plutarchus*, ut re parum explorata, scribit *J. Potterus* ad *Clem. Alex. Strom.* V. p. 680. sed aliorum elaboravit industria. Primus, quod sciam, *Platonis* studiosis tale praesidium paravit *Harpocration*, Argivus, Caesaris familiaris, quem, *Suidas* narrat, λέξεις Πλάτωνος ἐν βιβλίοις οὖσιν edidisse. Ex eodem *Suida* v. Ζάλην, v. Ἡρας δὲ δ. v. Παλιμβολος, et *Etymol. M.* p. 407. 137. intelligere licet, in iisdem *Platoniciis* glossis illustrandis *Clementem* versatum esse: qui, teste *Suida* v. Κλήμης, etiam scripsit πρὸς Ἱερώνυμον περὶ τῶν Ἰσοκρατικῶν σχημάτων, diversus, mea sententia, a Romanae historiae scriptore homonymo, et si *Suidas* utrumque confudit. Majore apparatu videtur eandem rem egisse *Boethus*, cujus duplex huc per-

Quidem adhuc] Supra adhuc eorum, omissis ver, al. mut.

Molestae essent] Supra negotium facerent.

Si illis — redderent] Supra si γλωσσήματα illa in minus peritorum gratiam sigillatim interpretanda susciperent.

In quo g. — industria] Antea desiderabantur.

Quod sciam — paravit] Antea, quantum sciam, *Platonis* studiosos hac parte juvit. Mox refert pro narrat.

Ex eodem — confudit] Hujc edit, addita sunt, initio sequentis periodi leviter immutato.

tinens scriptum recenset *Photius Biblioth. Cod. CLIV.* Ἀνεγνώσθη ἐν τῷ αὐτῷ τεύχει, καὶ Βοηθοῦ λέξεων Πλατωνικῶν συναγωγή κατὰ στοιχείου, πολλῶ Τιμαίου συναγωγῆς χρησιμώτερον· προσφανεῖ δὲ Μελάντα τινὶ τὸ συναγμάτιον. De altero scripto idem *Cod. CLV.* Συνετάχθη δὲ αὐτῷ (Βοηθῷ) καὶ ἕτερόν τι Ἀθηναγόρα προσφωρούμενον σπουδασμάτιον, ὃ περὶ τῶν παρὰ Πλάτωνι ἀπορουμένων λέξεων ἐπιγράφει· ὃν εἴ τις τὰς λέξεις εἰς ἐν συναγάγοι, συνεντάσσαν καὶ τὰς συναγμένας Τιμαίω, ἀπρητισμένην παράσχοι τῇ Ὠφέλειαν τοῖς τὰ Πλάτωνος ἀναγινώσκουσιν ἐθέλουσιν. Vide *Menag.* ad *Diog. Laërt.* III. 63. et *Fabric. Biblioth. Græc.* L. IV. c. 36. p. 582. At enim, cum et *Harpocratonis*, et *Clementis*, et *Boëthii* libri communi literarum naufragio perierint, nihil aliud superest, nisi ut hanc bonis literis tam gravem jacturam, si minus totam, certe ex aliqua parte, *Timaei Lexico* resarciamus. Hoc opusculum *Photius* *Cod. CLI.* ita describit: Τιμαίου Λεξικὸν περὶ τῶν παρὰ Πλάτωνι λέξεων. Ἀνεγνώσθη Τιμαίου πρὸς Γεντιανὸν περὶ τῶν παρὰ Πλάτωνι λέξεων κατὰ στοιχείου βραχὺ σπουημάτιον ἐν ἐνὶ λόγῳ. Ipsius *Timaei* memoria non minus obscura est, quam *Gentiani*, cui libellum inscripsit. Nec ullum, ne tenue quidem, vestigium, ex quo, qua aetate vixerit, conjecturam capias, ejus *Lexico* impressum reperitur. *Jo. Meursius* ad *Nicomach.*

At enim — resarciamus] nunc in periodi formam redacta sunt, paucis e pr. ed. deletis, paucis etiam mutatis, v. c. calamitosam jact. si non ex omni parte, certe pro parte.

Ipsius Timaei — indigebat] His omnibus fere altera haec ed. aucta est.

mach. Harmon. p. 169. Lexici auctorem esse credit *Timaeum*, Loerum, philosophum Pythagoricum, ejus extat libellus *περὶ Φύσεως*. Quod commentum quoniam absurdus est, quam ut refutari debeat, verbo satis sit indicare. Non melior est ratio *Jo. Jonsii* de Scriptor. Hist. Philos. I. 6. idem opusculum *Timaeo*, Cyziceno, *Platonis* discipulo, quem *Demochares* apud *Athen.* XI. p. 509. A. commemorat, tribuentis. Audierit iste *Platonem*. Num iccirco libros scripsit, aut *Platonis* glossas explicuit? Tali Grammaticorum praesidio non illa aetas, sed multo posterior, cum lingua Attica minus celebrari coepisset, indigebat. At, dicat aliquis, quid in aetate *Timaei* quaerenda laboras, cum ipse, v. *ὄχι ἤϊστα* *Porphyrimum* laudans, se ostendat post *Porphyrimum* vixisse? Ego vero vellem, tam certis argumentis ejus aetatem constituere possem, quam illum locum manifeste *voelae* coarguere. Primum *Timaeus*, pro suo brevitatis studio, parcissime aliorum utitur testimoniis, nec nisi in reconditoris significationis verbis, e. g. *Σισύρα* et *Σφριγῶρες*. Atqui quam ineptum et ridiculum fuisset,

At dicat aliquis — coarguere] elegantius posita quam in *pr. ed.* Putares eum demittendum esse infra *P.* aetatem, qui diserte laudatur v. *O. 4.* At enimvero pluribus, nec infirmandis argumentis istius loci *voelae* ostendi potest. De particula *at*, ut h. l. sic etiam infra p. 672, initio periodi posita conf. *Elog. Hemst.* supra p. 253.

Pro suo brevit. st.] Antea brevitatis mire studiosus.
Quam ineptum et ridiculum fuisset] *Prior. Ed.* *judicii* quam pravi fuisset.

set, ad formulam *ὀρθήματα* probandam, cuius viginti et septem exempla in *Platone* reperiuntur, alium potius, ac *Platonem* ipsum, adhibere auctorem? Sed fac, cum in re tam levi alterius etiam scriptoris auctoritate uti voluisse, laudassetne, aliorum more Grammaticorum, *Thucydidem*, *Xenophontem*, *Demosthenem*, horumque similes? At laudatur *Porphyrus*. Qui tandem scriptor? Nempe is, cui rerum abstrusarum scientiam tribuunt omnes, scribendi elegantiam nemo. Nec quisquam unus, si *Suidae* et *Thomae M.* stuporem exceperis, Atticas formulas *Porphyrus*, similiumque scriptorum auctoritate unquam probavit. Ergo relinquitur, ut *Porphyrus* locum, sicut plures alios aliorum, ab inepta manu in *Timaei* Lexicon intrusum esse statuamus. Etsi vero sic satis demonstravimus, *Timaeum* nullam *Porphyrus* fecisse mentionem, neque adeo quicquam ex ista temporis nota effici posse: suspicamur tamen, illum eodem, quo *Porphyrus*, seculo, id est, tertio floruisse. Haec enim aetas, Sophistarum feracissima, praeter *Porphyrus*, tulit *Longinum*, *Plotinum*, *Boethium*, *Jamblichum*, mul-

[*Alium — ac*] pr. ed. *alium — quam*. Prius est frequentioris usus apud Ciceronem: vid. Tursell. de part. L. L. p. 86. ed. opt. et Hadr. Card. l. c. p. 5.

[*Xenophontem Demosth.*] Minus recte, habita temporis ratione, in pr. ed. *Demosthenem*, *Xenoph.*

[*Ergo relinquitur*] antea *Relinquitur igitur*. In Elog. Hemst. ex ed. altera, *igitur* pro *ergo* posuit, supra p. 269.

[*Sophist. feracissimā*] Brevius enunciata, quam antea *prae caeteris Sophist. feracissima fuit, et, caet.*

multosque alios, omnes studio *Platonis* incensos, ejusque philosophiam et scriptis et ore propagantes. Horum igitur exemplo *Timaeus* excitatus, tentavit et ipse difficultatem, quae ex glossis in *Platone* intelligendo nasceretur, quantum in se esset, edito hoc libello minuere. Praeter *Λέξεις Πλάτωνος Timaeus* alterum etiam grandioris molis librum scripsisse videtur, *Συλλογὴν ῥητορικῶν ἀφορισμῶν, βιβλία ξή.* Quem quidem *Suidas* tribuit *Timaco*, *Tauromenitae*, *Historiarum* scriptori nobilissimo. Sed nemo, semel monitus, dubitabit, quin hoc scriptum ad juniorem nostrum *Timaeum* referendum sit: quippe in hujusmodi argumentis *Sophistarum* diligentia versari solebat. *Suidas* autem quoties scriptores homonymos confuderit, nemo nescit. Sequitur, ut de ipso *Timaei* Lexico dicamus. Parum liquet, utrum ita, ut nunc a nobis profertur, ab auctoris manu profectum sit, an integrius locupletiusque? Ex MS. nostri inscriptione, *Τιμαίῳ σοφιστοῦ ἐκ τῶν τοῦ Πλάτωνος λέξεων*, colligeres, majoris operis excerptum esse, nisi *Photius* quoque exiguae molis libellum tractasset. Vocat enim *προνημάτιον βραχύ.* Inscriptionem vero forsitan ita

προνημάτιον βραχύ. Inscriptionem vero forsitan ita re-

Omnes — incensos — propagantes] Item brevius, quam antea qui omnes — incensi — propagabant.

Nasceretur] Antea oriebatur. Coniunctivum postulat oratio suspensa.

Hist. scriptori nobilissimo] Supra, *Historico* longe clarissimo: illud exquisitius. Mox *In hujusmodi* enim, caet.

Quoties script. — nemo nescit] Supra *quoties* non script. h. maxime confudit? Mox, pro *colligeres*, antea fere *colligas*.

refingere malis: Τιμαίου σοφιστοῦ λέξ. (i. e. λεξικόν) τῶν τοῦ Πλάτωνος λέξεων. Quod ut in medio relinquimus, ita vehementer dolemus, libellum prae-postera nescio cuius diligentia interpolatum esse, stultissimoque consilio cum aliorum, tum *Herodoti* inprimis, glossis amplificatum. Vide v. Ἀγαθοεργοί, Ἀμφικτύονες, Γεωπειῖναι, Ἐνωμοτία, Ζεῖραι, Κνάφος, Πατρούχου παρθένου, Πύθιοι, etc. Quae omnia ex *Herodoto* huc esse derivata, tam manifestum est, ut, si quis illa in *Platone* quaerere instituat, doctorum hominum irrisione ludendus sit. Ex aliis scriptoribus adpersae sunt voces, Ἐφέται, Ἰπκαγρέται, Κωλαγρέται, Σκιρίται, etc. Eas quoque undelibet potius, quam ex *Platone* manasse, posito pignore contenderim. Satis jam, puto, intelligunt harum literarum periti, sic nobis ex parte praeclarum fructum, qui ex hoc *Lexico* ad ipsum *Platonem* pervenire debebat,

Refingere malis] antea quis refingere malit.

Quod ut — ita vehementer] Supra Nos quidem ut hanc rem — sic magnopere.

Libellum p. n. c. dilig.] Supra hunc *Timaei* foetum ad homine male feriato passim. Insolentius videtur, quamquam in recentiorum consuetudine positum, foetus de libro. Tum de dictione *male feriatu*s lectu digna habet *Vorstius* de *Lat. mer.* susp. p. 433 sq. Mox pro *cum — tum*, vet. ed. *tum — tum*.

Eas — manasse] Praestat veteri *Has — profluxisse*.

Contenderim] brevius quam *cum quovis contendere ausim*. *Ausim* in simplici stilo grandius est et ineptum, monente *Cl. Wytttenb. Bibl. Crit. P. XI. p. 114.*

Praeclarum fr. — interceptum esse] Verius quam antea, *praeclarum periisse fructum*.

bat, interceptum esse. Nam quamvis illud non tam ad emendandum, quam ad illustrandum *Platonem*, ab auctore comparatum sit, nobis tamen, qui Philosopho minus integro, quam tum erat, utamur, magno hoc opusculum adjumento poterat esse ad loca depravata indaganda, pristinoque nitore restituenda. Nunc autem, eum incertum sit, utrumne glossa, quam restituere velis, ex *Platone* hausta sit, an ex alio scriptore: quis hujus *Lexici* auctoritate *Platonem* refingere audeat? Quibus de caussis, tametsi non deërant conjecturae, rarissime tamen, *Timaeo* duce, *Platonem* tentavimus, nec fere, nisi aliorum Grammaticorum consensus accessisset. Vel sic tamen est, quod nobis gratulemur, *Timaeum* importunam cladem, quae alios in eodem argumento versatos oppressit, feliciter evasisse. Multi enim *Platonis* loci rectius, quam ante, per illum intelliguntur: multae lectiones, ab ingeniosis hominibus perperam sollicitatae, egregie confirmantur. Potuerat quidem hoc argumentum latius et majore cum eruditionis ubertate tractare,

Qui — utamur] antea Indicativo *qui — utimur*. Sed *qui* h. l. idem valet ac *quum* causale, quod postulat conjunctivum. Cf. supra p. 660. et Elóg. Henst. p. 26.

Quibus — deërant] Supra *Itaque quamvis haud deessent*.
Importunam cladem, quae — oppressit] Supra *saevam barbariae tempestatem, quae — afflixit*.

Quam ante, per illum] *Quam factum est ante, ejus ope*.
Per illum, id est, *ejus opera*, quod, ni fallor, frequentioris usus est, quam alterum *ejus ope*.

Ubertate] Supra *apparatu*. Praestat omnino illud,

ut *Erotianum* in *Hippocratis Lexico*, et *Ἡρακλείου* in X. Rhetorum, fecisse videmus: nisi ipse fortasse *Galenum* imitari maluerit, qui, post eruditissimam operam aliorum, non dubitavit *Hippocratis* glossas nude, nec adscita aliunde eruditione, enarrare. Sed, utcunque est, jure *Dan. Heinsius* ad *Maxim. Tyr.* Diss. VIII. p. 52. *Timaet* desiderium his verbis jam olim ostendit: *Haec pluribus praeter morem et institutum nostrum persecuti sumus, ut studiosi Platonis, non opiniones tantum, sed et voces τὰς τῶ ἀνδρὶ ἐν χρήσει diligenter observent. Quodsi exstaret Timaeus, et tot illi Lexicographi Platonici, quorum cum alii, tum Photius meminerunt, facile hoc labore supersederemus. Nunc e tot illis ne unus quidem nobis relictus est, de quo saltem illud poetae usurpare liceat, Χείλεα μὲν τ' ἔδιχον, ὑπερωὴν δ' οὐκ ἔδιχον.* At enim cum omnes hunc libellum temporis injuria perditum crederent, ecce! *Bernardus Monfauconius*, vir praeclaris in rem literariam meritis insignis, in Bibliotheca Coisliniana, nunc Sangermanensi, *Timaet* Codicem reperit, ex eoque specimen, quamvis minus

Eruditissimam operam] Pr. ed. *eruditissimos labores*. De usu vocis *labor*, tam singulari quam plurali numero, docta videatur animadversio Cl. Mahnii *Episcr. Bibl. Crit.* p. 79, sq. *Opera* autem magis universe de quocunque labore dicitur.

Sed, utcunque est, jure] Nonnullis deletis, paulo aliter supra posita: *Verumtamen — jam olim Dan. H. caet.*

At enim] *Supra Sed.*

Praeclaris] Rectius dicitur de meritis, quam in pr. ed. *ingentibus*. Cf. supra p. 662.

Quamvis] *Supra licet. Mox prodit.*

nus accurate descriptum, in ejusdem Bibliothecae Ca-
 talogo p. 477. prodidit. Codex est membranaceus, X.
 seculi, elegantissimus, et praeterea continet *Apollonii*
Lexicon Homericum, *Phrynichi Σεισθητικὴν Προπαρα-*
σπυὴν, aliaque Glossaria. Ego vero cum hoc Lexicon
 multis de causis dignissimum judicarem, quod libe-
 rali manu offertum, tot seculorum vinculis liberare-
 tur: petii a viro praestantissimo, *Henrico Gallo*, qui
 tum Parisiis degebat, ut, quacunq; ratione posset,
 illius apographum ad me curaret. Quod consilium
 ut acceperat *Claudius Sallierius*, singulare Galliae
 eruditae ornamentum, statim, pro eximio suo litera-
 rum juvandarum studio, amico nostro veteris mem-
 branae copiam fecit. Magnum autem fortunae inu-
 nus in eo posuerim, quod describendi provinciam hu-
 manissime suscepit cultissimi ingenii nec vulgaris eru-
 ditionis vir, *Joannes Capperonnerius*, eamque tam
 egregie administravit, nihil ut supra fieri posse vi-
 deatur (*). Nactus igitur apographum, *Timaeum*
 cum *Platone* comparare, atque adeo ejus editionem

cu.

(*) Paucā, nec ea magni momenti, quae *Capperonnerius*
 neglexerat, Codice iterum excusso, *Cl. Villoisonus* ad *Lone-*
gum p. 179. indicavit.

Aliaque] Supra *vartaque*. Vid. infra ad p. 676.

Literarum juvandarum] Exquilitior gerundii usus, quam
 supra *litteras juvandi*.

Eamque] Supra *qui eam*. Ceterum huic Ed. accessit
 aequens annotatiuncula.

Comparare] Supra *committere*. Scripsit tamen in Or. de

curare coepi: in qua quae sit a nobis servata ratio, paucis exponendum videtur. Codicem veterem, qui unicus nunc superest, summa repraesentavi religione. Alterius Manuscripti vicem saepius explerunt *Photius* MS. et *Suidas*, aliquando etiam *Etymologus M.* qui omnes bonam hujus Glossarii partem ad verbum descripserunt, nomine auctoris suppresso. Quoties quam salutarem operam sibi mutuo praestiterint *Timaeus* et *Suidas*, non sine voluptate ex animadversionibus nostris cognosces, simul admirans, Cl. *Kusterum* ex tot *Platonicis* glossis, quas *Suidas* in farraginem suam congestit, vix unam alteramve ad *Platonem* retulisse. *Photii* Lexicon ineditum evolvi apud virum ingenii, doctrinae, probitatis fama clarissimum, *Joannem Albertum*, cui multis nominibus tantum debeo, quantum ab homine deberi homini plurimum potest. Porro suam cuique glossae sedem assignavi; aliquas etiam latentes in lucem revocavi, atque e fuga re-

D. U. p. 129, *maxima ex antiquitate ingenia cum ceterioris temporis luminibus committere.* Sed cf. supra p. 664.

Curare] Supra *parare*. Mox, pro *explerunt*, antea *supplerunt*.

Bonam — partem] eodem sensu ac supra *magnam — partem*. Cf. *Vorstius* de Lat. falso susp. p. 24.

Quoties — Suidas] Elegantius collocata, quam supra *Quam T. et S. mutuam sibi op. praest.*

Congessit] Minus recte supra *congresserat*.

Evolvi] Otiosum *hunc in finem* in hac ed. delevit.

Revocavi] Supra *produxi*. Huc referri potest ipsius *Ruhnke* admonitio ad *Muretum* T. I. p. 133.

Plus navare et eff.] Supra *multo plura praestare*.

retraxi. Qua tamen in re plus navare et efficere potuisssem, nisi crebrae, de quibus modo dixi, interpolationes omne hoc conjecturarum genus anceps et lubricum reddidissent. Sed cum omnis haec opera ad *Platonem* emendandum illustrandumque comparata sit, saepe de illustrioribus ejus locis disputavi fusius, imprimisque fontes, ex quibus posteriores scriptores rivulos duxerint, diligenter indicavi. Equidem haud scio, utilitatisne plus habeat, an voluptatis, collatis inter se locis cognoscere, quid quisque a *Platone* mutuatus sit, et quo modo, quod *Platonis* erat, imitando fecerit suum. Qua de re pauca in universum juvat disserere. Vix quisquam post heroica illa tempora ad scribendum accessit, quin se totum ad aliquem antiquiorum, qui omnium consensu ingenii ac doctrinae principatum tenerent, exprimendum imitandumque daret. Quemcunque vero sibi delegisset, ejus non solum voces, formulas, complexionesque verborum, sed sententias etiam et bene dicta acerrimo consecrabatur studio, in succumque, quod ajunt, et sanguinem vertebat. Sed ex illis Heroibus quatuor imprimis posterior aetas et admirata est, et ad imitationem vocavit, *Homerum*, *Thucydidem*, *Platonem*, et *Demosthenem*. Ab *Homero* quidem quot lumina

sen-

Et quo] Antea quoque.

Tenerent] Supra *obtinerent*. Principatum *obtinere*, qui antea non habuit: *tener*, qui semel obtinuit.

Voces — verborum] Supra *orationis habitum formulasque loquendi*.

Ad imitationem vocavit] Supra *studiose effinxit*.

sententiarum, dicendique colores cum ipse *Plato* tum reliqui scriptores sumserint, quid attinet dicere? Ejus autem imitationem ut vel tiro deprehendat, sic ceterorum, quos dixi, ne eruditissimus quidem, nisi diu multumque sit in illorum scriptis volutatus. Horum bene cogitata et bene dicta si quis ita, ut digitos suos, noscat, et in numerato habeat, illum, ajo, infinitis veterum scriptorum locis, vel depravatis adhuc posse mederi, vel lucem reddere obscuris et parum intellectis. Quo magis autem *Plato* ceteros ingenio, scriptorumque multitudine vicit, eo plures nactus est imitatores. Ex hoc omnes, qui lautius quoddam dicendi genus secuti sunt, mirifice profecerunt, Sophistae maxime; cujus rei luculenta specimina in *Animadversionibus* dedimus nostris. Ex hoc *Themistius* et *Synesius*, etiam post *Petavii* curas, centum amplius locis et sanari possunt, et explicari. Ex hoc saepe et lumen et medicinam expectat *Philostratus*; qua de re *Gothofr. Olearius*, merito ab injusta, quam apud cives suos obtinet, famae possessione depelli coeptus, ne per somnium quidem cogitavit. Ex hoc denique multis locis instaurandi explanandique sunt

Cum ipse Plato, tum] Desiderantur supra; ubi mox nihil attinet dicere. Sed ejus, caet.

Si — noscat — habeat] Supra *si — norit — habuerit*: mox omisso *obscuris et*. Praestat praesens subjunctivi.

Multitudine] Supra *varietate*: et paulo post *eo plures*, etiam prae *Thucydide et Demosthene*, caet.

Luculenta] Supra *illustria*.

Saepe] Antea *passim*.

Multis] Supra *variis*. Sic etiam p. 678. et paulo ante,

mul-

sunt Dio Chrysostomus, Plutarchus, Maximus Tyrius, Julianus, alique. Quo magis his, qui altioris Critices studio ducantur, dies noctesque elaborandum est, ut assidua lectione in justam Platonis consuetudinem veniant. Illuc revertor. In annotationibus nostris non tantum de Platone, sed de aliis etiam scriptoribus, ubi nos invitaret occasio, bene mereri conati sumus. In quo cum breviores esse voluerimus, veremur, ut interdum tirones, vel mediocriter eruditi, rationes, quibus ad mutandum inducti simus, satis assequantur. Sed eos vehementer rogamus, ut iudicium de correctionibus nostris tantisper sustineant, dum ad aliquam de his rebus pervenerint iudicandi maturitatem. Ceterum annotationes nostrae, si nulla

alia

multitudine pro varietate. Sed varius et varietas, ex ipsius Ciceronis admonitione de Fin. II, 3, proprie in disparibus coloribus dicta, inde transferuntur in multa disparia; adeoque minus recte pro multis et multitudine ponuntur, nisi in ista multitudine simul diversitas quaedam sit. Eadem de causa p. 673, ubi antea scripserat variaque, nunc posuit aliaque. De voce diversus idem monuit Heusingerus Obs. Antib. p. 401.

Qui — ducantur, dies noctesque elab.] Supra minus recte, qui — ducuntur, diu noctuque laborandum.

Ubi nos invitaret occasio] Supra invitante occasione.

Cum — voluerimus, veremur] Supra minus recte Indicativo, et altero verbo singulari, cum — voluimus, vereor. Causam h. l. significat cum.

Quibus — simus] in oratione suspensa rectius quam supra, quibus — sumus.

Annotationes] Supra notae: quod explanationis significatione non est Latinum Cf. Heusingerus l. c. p. 419.

alia re, certe hoc nomine multis gratissimae sunt futurae, quod plurimas habeant quantivis pretii particulas, ex ineditis scriptoribus, qui rara felicitate ad nos pervenerunt, decerptas (*). Majus tamen, et haud scio an maximum, libello nostro ornamentum adjecit *Tiberius Hemsterhusius*, a cujus consiliis praecipisque, tanquam a fonte, quicquid sum, me fluxisse profiteor. Hunc Belgii *Varronem*, quotiescunque abditum aliquod e tenebris eruendum esset, toties in consilium adhibui; ex hoc multas et recondita plenas eruditione animadversiones vel blande elicui, vel importune expressi. Neque in eo pietatem, qua illum haud secus, ac filius parentem, prosequor, mihi videor laesisse. Etenim quo minus ipse, quae divinitus excogitavit, in lucem proferre curat, eo magis mihi, ne illis literae nostrae carerent, enitendum putavi. Ita vale, erudite Lector, sciasque, me in excerptis *Platonis* locis usum esse Editione, quae Lugduni apud *Guil. Ioannem* a. 1590. excussa est.

Scrpsi a. MDLIV. retractavi a. MDCCLXXXIX.

(*) Scriptorum ineditorum tanta seges post primam Editionem succrevit, ut vere dicere possim, nullum dum hujus generis librum tot Anecdotis referentem prodidisse.

Habeant] Exquisitius quam antea *contineant*.

Quotiescunque — aliquod] *Supra quoties — quiddam*.

Multas] *Supra varias*. Cf. modo dicta.

Etenim] *Supra Nam*.